

## **Disputatio medica inauguralis de dysenteria ... / [John Begg].**

### **Contributors**

Begg, John  
University of Edinburgh

### **Publication/Creation**

Edinburgi : Adamus Neill, 1793.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ycmyhybc>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

1891

DISTRIBUTION

IN AUCURALIS

DE

DYSENTERIA

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

DE  
DYSENTERIA:

*QUAM,*

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

*PRO GRADU DOCTORIS,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BEGG,

*JAMAIGENSIS.*

SOCIETAT. REG. MED. EDIN.

SOC. EXTRAORD.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

=====

M DCC XCIII.



3222 91



Viro illustrissimo,

FRANCISCO RIGBY BRODBELT,

Armigero,

Proregis JAMAICENSIS Archiatro,

Ob plurima Beneficia insignia,


et Amorem vere Paternum,

quibus

me Puerum dignatus est,

et adhuc dignatur,

Pietatis Monumentum :



Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library



Itemque,

Viro illustrissimo,

BENJAMINO BELL,

Armigero,

Chirurgorum facile principi,

Colleg. Reg. Chirurg. HIBERN. et EDINEN.

Nofoc. Reg. Edin. Chirurg.

nec non

Societat. Reg. Edin. Sodal.

Cui soli prælucendi,

Honores

ad quos Academia Edinenfis

me nuper evexit,

debeo;

Has Studiorum primitias,

grati Animi Pignus,

qua par est observantia,

facras esse volo

JOANNES BEGG.



1890

The following

AMERICAN BELL

Company

Telephone

Long Beach, California

Telephone

and

Long Beach

California

Long

Beach

California

Long

Beach

California

Long

Beach

California

# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

### DE

## DYSENTERIA.

---

**C**UM in hac Academia moris sit, ut quisque ad summam Medicinæ dignitatem evehendus, aliquid ad illam scientiam perti-  
nens, in lucem ederet; paucula igitur de  
Dysenteria, utpote in Jamaica, ubi medici-  
nam facturus sum, admodum frequenti, con-  
scribere statui.

A

MOR.

## MORBI DEFINITIO.

Variæ apud varios auctores hujus morbi definitiones extant ; omnibus autem celeberrimi CULLENI \*, quæ sequitur, anteponebatur :

- ‘ Pyrexia contagiosa, dejectiones frequen-  
‘ tes mucosæ vel sanguinolentæ, retentis ple-  
‘ rumque fecibus alvinis, tormina, tenesmus.  
‘ Variat,  
‘ 1. Vermibus comitata.  
‘ 2. Rejectis moleculis carnosæ vel feba-  
‘ ceis.  
‘ 3. Febre intermittente comitata,  
‘ 4. Sine sanguine.  
‘ 5. Miliaria comitata.’

Hæc

\* CULLENI Synop. Nosol. Method. pag. 178.



Hæc definitio præcipua morbi signa complectitur; cum vero morbi facies in diversis exemplis, diversa sit; has varietates nunc exequamur oportet.

## MORBI HISTORIA.

Dysenteria exeunte æstate vel ineunte autumno, frequentissimè vigere solet: modo a pyrexia, cum summa lassitudine, nausea, sapore amaro, cibi fastidio, et haud raro fellis vomitione incipit. Hæc signa inflammatione plus minus, nonnunquam vero febre putrida, comitantur: Modo autem a signis diarrhœæ, vel dejectionibus copiosis et biliosis exorditur, nonnunquam sub initium ægrotans singultu afficitur, aut alvus præter naturam adstricta est, dum intestinorum flatus, et sæva tormina torquent. Morbus in plerisque exemplis a tenesmo, torminibus comitantibus, ordiri solet: In quibusdam casibus tormina quidem haud  
fe



se ostendunt : sed tenesmus modo gravior, modo lenior, nunquam abest. Hæc symptomata, progrediente morbo, paulatim graviora fiunt. Qualiscunque sit forma quam morbus initio induat, dejectiones in omni exemplo eadem fere brevi evadunt ; hæ quidem e spumoso muco, sanguine plus minus plerumque tincta, potissimum constant : color ac spissitudo varia sunt. Sanguis purus nonnunquam dejicitur, idque tantâ copiâ, ut æger in summo vitæ periculo versetur, et interdum moriatur. Paucis diebus a morbo inchoato, stercus non nisi scybalorum formâ, dejicitur ; hoc quâvis ratione evacuatum, tormina ac tenesmus, quantinus levat ; hoc autem levamen haud diu perstat. In quibusdam casibus molculæ, adipem vel caseum referentes, et membranæ vel partes tunicæ villosæ abrasæ puri et saniei putridæ admistæ dejiciuntur. Vermes quoque nonnunquam excernuntur. Progrediente morbo fellis vomitio, nausea et

sapor

sapor amarus subinde observantur. Dolores  
diversarum abdominis partium flatu distenta-  
rum sæpe torquent, et ad costas spurias adeo  
nonnunquam sæviunt, ut spirandi difficulta-  
tem inferant. Morbo inveterato ani prolap-  
sus, ischuria aut dysuria comitatus haud raro  
accidit. Hoc modo plerumque progreditur  
dysenteria; cujus signa pro gravitate febris  
comitantis, plus minus graviora ac varia sunt,  
et pro vario ægri habitu varium temporis spa-  
tium durant. Quando febris est levis, aut  
nulla, morbus per aliquot menses perstare  
nonnunquam solet: nonnunquam vero pau-  
cis diebus æger violentia inflammationis, aut  
signis putredinis, uti vocantur, supervenienti-  
bus, e medio rapitur. Pyrexia paucis diebus  
modo æger peritè tractetur, plerumque eva-  
nescit, et sanitas brevi restituitur. Interdum  
vero, morbo provectiore, typhus accenditur;  
qua æger in summum vitæ periculum induci-  
tur. Illa in quibusdam exemplis etiam ab  
initio



## 6 DISPUTATIO MEDICA

initio oritur, et per totum morbi decursum perstat. Alii somnolentia, alii vigilia pervicace, alii vero etiam ab initio convulsionibus afficiuntur. In quibusdam exemplis lenioribus delirium etiam morbi initio adest. Si morbus malignus futurus sit, lingua, quæ initio muco albo obducta fuerat, colorem nigricantem, aut fuscum induit. Dentes crusta nigra teguntur, cutis fit insigniter calida ac sicca; sitisque inexplebilis urget. His superveniunt maximæ anxietatis sensus, delirium, eruptio miliaris, petechiæ, interdum aphthæ et convulsiones. In quibusdam casibus corpus marcescit, et dolores rheumatismum simulant in variis artuum abdominisque partibus infestant, anxietas præcordia opprimit, cibum vel levissimum stomachus fastidit, ac rejicit, tormina sæviora fiunt, nec dejectione mitigantur, quæ jam frequentior facta foetorem intolerandum, præsertim si intestina gangrænâ afficiantur, undique diffundit. Hunc autem foetorem prægrediuntur interdum dejectiones olidæ,

olidæ, oleosæ ac nigræ, et moleculæ carnis livida ejiciuntur ; urina parca, pallida, ac limpida redditur. Jamque tormina, quæ antea summo cruciatu ægrum torquebant, cessant ; arteriarum pulsus debiles ac abnormes fiunt ; singultus supervenit ; urina et stercus, incio ægro, elabuntur ; sudor gelidus prorumpit ; dysphagia accedit ; oculi hebescent ; extrema corporis frigent ; visus imminuitur, vel prorsus aboletur ; et mors tandem miseriis finem imponit. Quo morbi historia plenior et accuratior fiat, phænomena cadaverum incisione indagata subjicienda sunt.

## CADAVERUM INCISIO.

Intestina crassa ab hac peste potissimum afficiuntur fere semper inflammatione, aut gangræna, vel utraque simul laborant. Colon ac rectum maximè ac sæpissimè inflammata, ac ulcerata, et aliquando constricta inventa fuerunt,



fuerunt, tunicæ ipsorum præternaturam crassæ, nigræ, et quasi putridæ fuerunt, et tunica villosa exesa conspiciebatur. Intestina tenuia sibi invicem adhærere, iliumque ulceribus plurimis exiguis occupari visa sunt. Testante BONTIO, vesicula fellea humore albo, nullo simul fellis vestigio existente, plena reperta fuit. Peritoneum justo crassius in quibusdam exemplis intestinis adhærere compertum fuit. Cel. MONRO in prælectionibus varia specimina stragis diræ, quam hoc malum dat, quotannis ostendere solet.

### CAUSÆ REMOTÆ.

Dysenteriam inter ac putridinem, aliquem plerumque nexum intercedere hinc liquido constat, quod in his anni tempestatibus, et in locis, quæ putredini maximè favent, potissimum vigere solet, et febribus putridis sæpe jungatur. Porro dysenteria intermittenti-  
tibus

tibus ac remittentibus haud raro stipatur, et in quibusdam exemplis in remittentem vel tertianam mutari fertur. In hujusmodi casibus tertianarum paroxysmi dejectionibus, ac sævis torminibus comitantur; quæ quidem res intermittentes ac dysenteriam easdem causas remotas habere probare videtur. Hæc opinio haud parum confirmatur, eo quod in iisdem anni tempestatibus ac terræ locis contingunt, quodque ambo bile copiosè evacuato levati fuerunt. Cum autem cholera in eodem rerum statu oriatur, et dysenteriae signis sæpe immunis sit, de nexu dysenteriam inter ac fellis statum vix aliquid statuere possumus. Causæ remotæ ad duo capita referendæ sunt; jure enim in Prædisponentes et Occasionales dividuntur. Illæ sunt omnia quotquot corpus infirmant, et fere innumeræ sunt; præcipue autem videntur humor quovis modo applicatus, veluti, aër humidus, vestes aut stragula humida, &c. affectus animi deprimentes, studium intensius, jejunium, morbi prægressi, immunditia, li-



quorum inebriantium abusus, Venus nimia, defatigatio, calor ingens præcipue si humori jungatur, diæta parca, defectus aëris liberioris, cibi animalis et aquæ, vapores putridi, cadaverum quæ sub dio insepulta putrescunt. Hinc morbus sæpe in urbibus obsessis, in castris, in classibus ac locis paludosis, grassari solet. Causa excitans est contagio sui generis. Utrum morbus sine contagione oriri potest, necne anceps hæreo. Cel. Medicus WARDROPE dysenteriam in castris Britannicis, bello Americano, ab humore solo oriri observavit: nulla enim, inquit, causa aderat, cur contagionem specificam ibi existere suspicaretur; nec desunt quibus videtur morbum a frigore solo corpori admoto oriri; fructus quoque nimia copia devorati, et succus immaturus arundinis sacchariferæ, dysenteriam sæpe intulisse feruntur. Hæc omnia autem admodum dubia mihi videntur, verisimile enim mihi videtur, contagionem clam subfuisse, et innocuam et actionis expertem mansisse, donec

causæ

causæ debilitantes scilicet, humor, frigus et fructus immaturi, effectus suos in corpore ediderant. Quod ad vapores putridos animales attinet, auctor est cel. CULLENUS se observasse eos nonnunquam diarrhœam movisse, dysenteriam autem ab iisdem ortam esse, nunquam pro certo dicere potuisse. Fructus immaturi diarrhœam quidem sæpe cient. Minimè vero crediderem dysenteriam quippe cujus signa semper eadem sunt, quamque pro certo contagiosam esse novimus, a tot causis diversis excitantibus inferri.

## DE CAUSA PROXIMA.

Cum dysenteria plerumque instar diarrhœæ a dejectionibus incipiat, vix dubitari potest quin morbus saltem initio pendeat ab acri, quod motum intestinorum peristalticum intendit, tunicas intestinorum teneras irritat, inflamat, et tandem exedit, ac exulcerat; tuni-

cæ



cæ enim vaforum sanguinem vehentium, adeo nonnunquam exeduntur, ut, testante Professore MONRO, profusiones sanguinis periculosæ insequantur. Hæc omnia cadaverum incisione demonstrata fuerunt, fæces alvinæ plerumque retinentur, in coli cellulis indurantur; retentæ tormina, tenesmus, et sane omnia signa irritatione sua augent. Hæc igitur Materia acris ac Inflammatio pro causa proxima haberi debent: Spasmus enim est potius effectus quam causa morbi.

### DE RATIONE SYMPTOMATUM.

Pyrexia in hoc morbo ab eadem causa remota ac febris in genere pendere mihi videtur; illa autem variat pro anni tempestate, regione, loci situ, ægri viribus, ac corporis habitu: Pyrexia causa est forsan debilitas, et vaforum extremorum spasmus, secretio bilis  
aucta

aucta pendere videtur a cursu humorum introrsum facto ; in hoc enim morbo cutis insigniter sicca est ; porro cum ex diætis materia acris intestina irritet, atque tandem inflammatione ac gangræna afficiat, mirum non est si tormina ac frequens desidendi desiderium superveniant. Intestina enim sunt admodum irritabilia, et magna sentiendi facultate pol-  
lent, inflammata igitur ac debilitata spasmō afficiantur oportet ; hinc fæces in colo, sede scilicet morbi præcipua retinentur, et tandem partibus tenuioribus resorptis indurantur, et irritando partes jam inflammatas, et admodum sensiles, tormina sæva excitant. Hinc facile intelligitur quare scybalis evacuatis, omnia signa plerumque levantur, non autem semper ex toto mitigantur ; cum enim tunica villosa exeditur, et inflammatio multum intenditur, res blandissimæ tormina excitabunt : dejectiones sanguinolentæ, aut sanguinis, a vasis sanguiferis exesis proveniunt. Quod ad tenesmi causam attinet, pendet, uti CULLE-



NUS opinatur, ab oscillatione, quæ diffunditur a sede spasmi ultra quem motus peristalticus propagari non potest, ad anum usque, ubi quasi in puncto fixo sistitur; canalis alimentarius nonnunquam præter modum distenditur, quia flatus ob spasmum descendere nequit: Prolapsum ani ab iteratis ac violentis defidendi conaminibus oriri minime quidem mirandum est. Petechiæ, quæ nonnunquam super cutem se ostendunt, et stercoris spuma ac foetor intolerandus, a magna debilitate, et insigni forsan humorum in putredinem proclivitate oriuntur.

## DE DIAGNOSI.

Diarrhœa, dysenteriam incipientem, adeo nonnunquam simulat, ut non semper facile distingui possint. Hæc autem similitudo rara est, et discrimen brevi quidem inveniri potest. Fæces enim alvinæ in diarrhœa semper de-  
jiciuntur:

jiciuntur: Post paucos autem dies in dysenteria retinentur, et raro nisi scybalorum forma dejiciuntur. Porro diarrhœa nullam habet pyrexiam primariam, neque contagione vulgatur; hæc autem res longè aliter se in dysenteria habet.

## DE PROGNOSI.

Judicium de diri hujus morbi eventu sæpe incertum, et nonnunquam infelix fit, oportet; plurimum enim periculi semper habet. Si brevi post emetica ac cathartica administrata signa leventur, si tormina ac tenesmus minuantur, ac rarius recrudescant; si ægri vires haud insigniter frangantur, si vomitus non adeo frequens est, et denique si dejectiones sanguine non tingantur, et ad naturales accidentes speciem stercoream quadantenus induant, et copiosiores fiunt, et febris non sit typhodes



des exitum faustum sperare licet. Contra, pyrexia typhodes, frequens ac vehemens, vomitio, singultus, dejectiones numero auctæ, et solito minores, spumosæ, foetidæ, vix tolerandæ, inscio ægro, elabentes, tormina ac tenesmus aucta, facies pallida, delirium, pulsus debiles, ac abnormes, abdominis tumor, aphthæ vel faucium dolor, eruptio miliaris, vibices, maculæ, convulsiones, animi deliquia, frigus extremorum, sunt signa pessimi ominis. Singultus quidem, morbi initio, non adeo timendus est, sed finem versus, est pessimum signum, et gangrænam indicat. Nervorum contractio spasmodica in pueris est pessimum signum, testante ZIMMERMAN, eos enim brevi omni sensu orbat. Ætate provecti, mulieres uterum gerentes, ac pueri plerumque, hac peste vexati, e medio rapiuntur. Si pyrexia plurimum inflammationis habeat, maximum periculum instare solet. Ardoris in abdomine sensus, et tormina immania subito cessantia instare mortem significant: signis lethalibus annumerantur

annumerantur icterus superveniens a BAGLIVIO, et urina limpida ac parca ab HUXHAMIO, aliqua tamen salutis spes fovenda est, dum stercus ac urina non sine ægri voluntate excernuntur.

## RATIO MEDENDI.

Cum febris quæ dysenteriam comitatur in diversis exemplis, diversa fit, medendi consilia pariter diversa sint, oportet; nonnunquam enim diathesis phlogistica, five vis cordis et arteriarum nimia, ab initio adest: Modo autem diathesis putrida cum magna debilitate a morbo inchoato, observatur. In omni exemplo, materia morbose atque scybala intestina irritant ac rodunt; consilia igitur huic morbo maxime accommodata sequentia videntur:

I. Materiam morbosam ex intestinis evacuare.

C

II.



II. Diathesin phlogisticam tollere.

III. Spasnum solvere, et signa molesta levare.

IV. Intestina ab acrimoniâ defendere.

V. Debilitati ac putredini occurrere.

*Primum* Consilium absolvitur medicamentis catharticis, ac vomitoriis. Longum ac inutile foret, omnia cathartica enumerare, quæ a variis medicis in hoc morbo decantantur. Acerrima olim dari solebant; Clinici autem hodierni, pessimos eorum effectus experientia docti, non nisi mitioribus utuntur. Sales neutri, aut oleum recini, votis plerumque respondent; *Magnesia vitriolata, soda vitriolata, soda tartarizata, et soda phosphorata, &c.* præscribi possunt; vel parvæ *antim. tartariz.* doses, uti nos monet celeberrimus CULLENUS, qui hoc medicamentum omnibus præstare comperit. Alvus singulis diebus, vel quolibet biduo,  
vel

vel triduo, prout signa postulaverint, leniter purganda est. Hic loci, formulam, quæ a celeberrimo LIND haud parum commendatur, subungere juvat :

- ‘ R. Mannæ optimæ unciam,
- ‘ Antimonii tartarizati grana duo,
- ‘ Emulsionis communis libram,
- ‘ Syrupi papaveris semunciam :
- ‘ Misce.’

Hujus mixturæ unciam omni semihora capiendam, et hora somni haustum anodynum, præscribere solebat.—*Soda phosphorata* vel *soda tartarizata* jusculo ovillo soluta plerisque aliis salibus neutris gratiora, reperiuntur. Lotiones emollientes, valdè profunt, partes inflammatas fovendo, et si opium conjungatur, tormina ac tenesmus, mirum in modum levantur, et sæpe consopiantur ; his autem alvi purgatio semper præmittenda est. Parum enim proficiunt, ni scybala evacuentur. Prout res postulaverint



stulaverint, iterandæ sunt, et forsan iuscula ovilla, omnibus anteferenda sunt. Celeberrimus ZIMMERMAN, vomitionem, in hoc morbo multum commendat. *Antimonium tartarizatum*, aqua hordeata solutum, dosibus pro ægri viribus iteratis, et per noctem continuatis, præscribere, et fructibus tamarindorum secundo, vel tertio quoque die, ad alvum laxandum, uti solebat. Timendum autem est ne acida hujusmodi fructuum, tormina augeant. Cum morbus igitur impetum facit, emetica statim præscribenda, nisi signa postulaverint, ut sanguinis detractio præmittatur: die sequente, alvi purgatio, modo quem supra diximus, præcipienda est. Sunt alia medicamenta purgantia, quæ a quibusdam Medicis celeberrimis tantis laudibus efferuntur, ut illa silentio præterire, nefas videatur. Celeberrimus DEGNER in libro suo, De Aëre et Epidemicis, rheum, et *lixivam e tartaro*, medicamentum divinum potius quam humanum, appellat. Verendum autem, ne *lixiva purificata* partes plus satis  
jam

jam inflammatas, irritet. HUXHAM ac PRINGLE idem medicamentum, scilicet rheum, magnis laudibus prosequuntur: Ille, ad vermes, si qui forte adsint, fugandos, *hydrargyrum muriatum* mitem, commendat, et rheum pro medicamento cathartico optimo, habet: Hic, rheum laudat potissimum si pauca *hydrargyri muriati mitis* grana, conjungantur: Sic commixtum nunquam se fefellisse, asserit. *Vitrum antimonii* ceratum, plurimum nec injuria, a celeberrimo CLEGHORN et Professore HOME, commendatur. Celeberrimus Medicus CLARK, *mercurium muriatum mitem*, vel calomelas, etiam atque etiam, commendat. Hoc enim, inquit, medicamentum, dysenteriam tam acutam, quam vetustam, tum in pueris, tum in adultis, sæpissimè sanasse; morbumque uti post cætera medicamenta evenire solet, non recidivum fieri, affirmat. Ita propinandum monet, ut alvi purgatio non fiat; quamprimum os afficitur, et ptyalismus supervenit, morbus evanescit. Hora somni, febre ac nausea prementibus,



mentibus, bolum ex *antimonii tartarizati*, grano dimidio, et *mercurii muriati mitis*, granis quinque, pauxillo opii addito, præscribere solebat. Si post grana triginta vel quadraginta medicamenti hoc modo præscripti, stercus naturale non sequitur, tunc opium omittendum putat, et dosis medicamenti augetur, ut alvi purgatio fiat. Sic morbus plerumque tollitur; huic fini, ut vir celeberrimus inquit, grana duodecim aliquando respondent; plerumque vero triginta vel quadraginta opus est. Hujus medicamenti usui objici solet, intestina justo jam irritabiliora esse; ac proinde fieri non posse, quin tormina, cæteraque signa, acerbentur. Respondit vero, se hoc remedio usum esse, in casibus longis, iisque acutis, qui cæteris medicaminibus obstitissent; nullumque malum effectum insequutum esse.

*Secundum* Consilium necessarium evadit, cum morbus inflammationis signis comitatur, ut vere et hieme accedere solet. Sanguis  
his

his rebus circumstantibus, pro ægri viribus et violentia signorum, detrahendus est. Cel. Medicus DONALD MONRO, sanguinis detractionem plurimum profuisse comperit, in exemplis, quibus æger ingenti recti dolore, torquebatur, hoc enim modo suppurationem alioquin non sine ratione pertimescendam, se præcavisse, asserit.

*Tertium* Consilium, spasmum scilicet solve-  
re, absolvitur, augendo humorum cursum, su-  
perficiem versus. Multa ex medicamentis,  
quæ ad primum consilium exequendum supra  
laudavimus; huic pariter haud male accom-  
modata sunt, omnibus enim medicis notum  
est, quantus stomachum inter ac cutem, con-  
sensus, intercedit: Hinc medicamenta vomi-  
toria, post effectus suos primarios, ventriculi  
scilicet exinanitionem, exhalationem super  
cutem promovent, cumque hæc excretio sup-  
pressa, inter causas dysenteriae remotas, jure re-  
censeatur, non vel minimè dubitandum cen-  
seo,



feo, quin in hoc morbo plurimum possit. Nec moror quæ cel. DEGNER huic medendi consilio objicit; constat enim experientiâ, exhalationem per cutem, egregios in hoc morbo effectus, præstare. Varia quidem sunt medicamenta vomitoria quæ huic consilio haud malè accommodantur; qualia sunt medicamenta ex antimonio parata, veluti *antimonium tartarizatum*, *vinum antimonii tartarizati*, &c.; et medicamenta ex vegetabilibus derivata, veluti *ipecacuanha*, &c. Horum quidem medicamentorum delectum, peritus Medicus, nunquam omittet: In calidis regionibus, ob debilitatem, quæ fere semper hunc morbum insignit, *antimonium tartarizatum* vix ac ne vix quidem, præscribendum est. Hoc quidem medicamentum, regionibus frigidis, in quibus, diathesis phlogistica viget, magis accommodum videtur: Ipecacuanha, igitur, in omnibus casibus, ubi debilitas est insignis, anteponenda mihi videtur; in quibusdam sanè exemplis, eo usque convelluntur vires, ut *infu-*  
*sum*

*sum chamæmeli*, cæteris omnibus tutior fit. *Antimonium tartarizatum* dosibus parvis præscriptum, in exemplis ubi vires parum fractæ sunt, humores superficiem versus insigniter ac tuto diriget. Remedia externa ad spasum solvendum sunt, fots, balneum tepidum, et epispastica, quæ nunquam negligenda sunt. Epispastica quidem in omni fere exemplo conveniunt; in casibus autem, ubi debilitas est insignis, balneum tepidum ægrè, ac cautè adhibendum est. De effectibus *antimonii calcareo-phosphorati* in hoc morbo, nihil, quatenus mihi novisse contigit, apud scriptores medicos vulgatur; facilè autem crediderim hoc medicamentum præstantissimos in hoc morbo effectus editurum. In ventriculum enim non æquè violenter agit ac *antimonium tartarizatum*: porro in totum canalem alimentarium et cutem, certius quam alia ex antimonio parata agit; nec vires hujus medicamenti, ut quibusdam Medicis celeberrimis olim persuasum fuit, ex acido ventriculi, et intestinorum,

D

pendent;



pendent; constat enim experimentis cel. Medici PEARSON, hoc medicamentum conflare ex calce antimonii et calce *phosphorata*, quæ omnia elementa sibi invicem conjunguntur, et salem triplicem efficiunt. Hinc patet effectus ejus a canalis alimentarii acido minimè pendere; nec adeo esse periculosum ac quibusdam olim persuasum fuit. Vix igitur dubitari potest, quin huic consilio quam optimè responderit.

*Quartum* Consilium, scilicet, intestina ab acrimonia defendere, et signa molesta levare, medicamentis demulcentibus ac anodynis explebitur; qualia sunt, aqua hordeata, mucilago gummi Arabici, olea blanda, juscula ex carnibus, et opium. Gummi Arabicum aqua hordei solutum, forma lotionis adhibitum, potissimum si opium conjungatur, colon oblinendo ac fovendo præclaros edit effectus; intestina enim ab acrium irritatione defendit, et tormina ac tenesmum obtundit ac sopit. Delirium pertinax ac vigilia, quæ ægrum haud raro torquent,

torquent, haustu anodyno levanda sunt. Huic pariter consilio haud malè respondet potus copiosus ac blandus, veluti aqua hordeata cum pauxillo sacchari, et diæta idonea, qualis est sago, jusculum ovillum, pullinium, &c. fructus recentes, quales sunt uvæ, fragaria, aurantium, et poma mitia, morbo nondum provec-to optimè accommodari videntur; usu autem eorum morbi finem versus, quando acor ventriculi ac tubi intestinalis insignis est, abstinendum erit, et tunc potione cretaceâ utendum est.

*Quintum* Consilium, scilicet, debilitati ac putredini occurrere, medicamentis tonicis, stimulantibus atque antisepticis absolvitur. Remedia roborantia ferè innumera apud medicos reperiunda sunt, veluti astringentia, quorum præcipua sunt, pulvis stipticus, catechu: Omnium vero hujusmodi remediorum princeps est Cinchona, atque aër frigidulus, ac recens. —Ventriculo ac intestinis, satis depletis, et fæcibus naturalibus dejectis, cinchona statim præscribenda



præscribenda est. Si febris quæ dysenteriam comitatur remittat, vel intermittat, statim, etiam morbi initio, præscribi debet, si nulla inflammationis signa adsint; ne febris continua fiat, quod in regionibus calidis evenire solet, interdum aliquantulum opii una cum cinchona propinatur, potissimum, quando hic alvum ciet. Stimulantium princeps et optimum solatium mortalibus ægris, est vinum generosum; omnibus forsan præstat vinum rubrum Lusitanum, Madarense, et Burdigalense. Mundities summam medici attentionem in hoc morbo sibi vindicat; linthea igitur ac stragula quotidie mutanda sunt. Omnia excreta, et vasa quæ illa continent, statim eliminanda sunt; nec vasa, nisi prius optimè purgata, in ægri cubiculum admittenda. Vinum Rhenanum, aquâ et parvo saccharo additis, potus est gratissimus, et humorem in putredinem proclivitati, fortiter occurrit. Hoc igitur, et interdum vino rubro Burdigalensi, prout ægro magis arrideant, caluisse juvabit.

